



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 2. Varia Victoria contra hostes visibiles.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

## TITULUS IX. VICTORIA.

§. I.

*Contra hostes visibiles paucorum contra multos.*

**A**braham cum trecentis servis suis quatuor Reges debellavit. Gen. 14. 15.

Exercitus Madian erat ut minimum centum triginta quinque millium; è quibus cæsa sunt centum viginti millia: reliqua quindecim millia fugientia persecutus Gedeon cæcidit trans Jordanem: Judic. 8. 10.

*Et cades magna nimis.* 1. Reg. 14. 20. Josephus l. 6. c. 7. ait cæsa sexaginta millia Philistinorum. Solus David, *quasi tenerrimus ligni vermiculus, octingentos interfecit impetu uno.* 2. Reg. 23. 8. Solus interfecit Goliath.

Josaphat, cum Moabitas, Ammonitas, Idumæos, contra se irruentes nimium timeret; solâ se contra illos oratione, & jejuniô, armavit: & quos tandem milites in prælium adduxit, diligenter monuit, non ut pugnant; sed canerent, pulsarent citharas 2. Paral. 20. 3. 21. Et vix cantare cœperant, cum hostes in mutua vulnera corruentes, omnes ad unum periëre; nè unô quidem tantæ cladis superstitè nuntiorum. Mendoza in 1. Reg. 14. Annot. 18. Sect. 1.

Judas Machabæus, 1. Machab. 4. 6. cum ab innumeris hostibus armatis cingeretur; ipse apparuit in campo cum tribus millibus virorum tantum; qui tegumenta, & gladios, non habebat: & tamen inermes armatos contriverunt. Idem ibidem.

§. II.

*Varia de victoria contra hostes visibiles.*

**E**quos eorum subnervabis, & currus igne combures. Jos. 11. 6. Monetur Princeps, nè, cum fruatur victoriâ, suis impofterum fidat opibus. Orig. hom. 15. in Jos. ut ultra non in equis, nec in armis, sed in nomine Dei nostri, invocemus. Quid prodest eques, si non adest Deus? *fallax equus ad salutem.* Pf. 32. 17. Quid virtus facit, cum Deus manum retrahit? *non salvatur rex per multam virtutem.* v. 16. Velloso in Judith 1. Paran. 11.

*Habitavit David in arce, & vocavit eam civitatem David.* 2. Reg. 5. 9. Nota: Hebronem eò elogiô ornata non esse, licet ibi septenniô regnavit. v. 5. Nec Jerosolyma dicta Regis civitas est: suam tamen arcem, & urbem, Sionem vocavit; quam armis cœperat, Jebusæo excussô. Ad laudem victoriæ magnificæ, ait Abulensis q. 10. ad 2. Reg. 5. Velloso in Judith 7. Paran. 7.

*Quotiescumq; autem pœnituerunt.* Judith 5. 19. Si hostes cupis vincere, Dei metu exercitum ducito. Isid. Pelus. l. 1. ep. 294.

*In finem pro his, qui immutabuntur.* Pf. 59. De victoria duplici carmen est. Cum succendit Mesopotamiam Syria; ubi David ferô, & flammâ, Syriam terit, & Idumæam premit. Sed inscriptio metum prius sonat; cum fortuna rotam videat. Aptâ epigraphæ pro Duce victorioso: quâ David gloriosus victor, & monetur, & monet: fortunam belli prosperam facillè avolare: Regem modò victorem gaudere; modò victum dolere. Idem in Judith 1. Paran. 8.

Alphonfus rex Aragonia, filio suo, dum in Florentinos moveret, hoc documentum dedit. Victoria, mihi crede, non hominum disciplinis, aut industriâ, paratur; sed Dei Optimi Maximi benignitate, & arbitriô, Panormitanus l. 3. de reb. Alphonû c. 51.

Theodosiô imperium suscipiente, bellum grave in Occidente motum est. Percussus, non pecuniam, non milites, cogit; non fœdera querit; sed Dei opem. Cognitô, virum quendam in Egypto anachoretam, nomine Senaphium, sanctissimè vivere, miracula patrare; confessum Theophilum Alexandrinum Episcopum cum literis ad illum expedit; ut quamprimum Constantinopolim se conferat. Diu restitit vir sanctus: tandem cucullâ, & baculo, in cœlum sublatis; Domine Deus, inquit, huic, obsecro, cucullæ, & baculo, vim tantam imperti, quantam mihi, si adessem, tribueres. Tum quæ manibus tenebat, antistiti tradens: hæc, inquit, defer Imperatori; ut cucullam imponat capiti, baculum manu ferat, primam ipse aciem in hostem Dux educat. Fecit, quod suavis, Theodosius; hostis mox in fugam conversus, cæsus, victus, sine suorum sanguine.

Tempore Urbani II. ad ann. D. 1098. Christiani in bello sacro à Papa indicô, pro recuperatione Jerosolymæ: cum essent Antiochiæ in summa desperatione; eò quòd propè adesset infinitus exercitus Turcarum; & ipsi pauci essent, ac diuturnâ fame propè enecti: ita ut etiam viri fortissimi baculis innixi incederent; neque equos haberent, nisi paucissimos: quin & copiarum Dux Godefridus Bulonius equò commodatò uteretur; & multi principes in asinis equitare cogentur. Tandem Deus revelavit, ubi esset Lancea, quâ Christi latus perforatum est in Cruce: eaque prælata in bello victoriam dedit; ita ut occiderint centum millia Turcarum. Itâ Paulus Æmilius l. 4. histor. Francorum.

Ossa Comitissæ Castellæ fortissimi Ferdinandi Gonzali, strepitu, & concussionè suâ, significavit

ficant victorias Catholicorum contra Infideles. Prædixerunt A. 1456. pridie victoriam Joannis Hunniadis contra Turcas; alias Hispanorum contra Mauros. Nierembergius l. 1. de mir. nat. in Europa c. 10.

## §. III.

## Victoria Christi.

## Symbolum palma.

IN ramis palmarum significabatur victoria, quæ erat Dominus moriendo superaturus; & trophæo crucis de diabolo mortis principe triumphaturus. S. Isidorus Ep. de offic. Eccl. c. 27. l. 1.

Palma victoriam signat, ac si dicerent illi nona verbis, sed rebus: venis Jerosolymam; certam victoriam reportabis de morte diaboli: crucifigeris ibi, Jescendes ad inferna, & liberabis electos, & superabis diabolum. Haymo hom. D. 1. Adv.

Rami palmarum, laudes sunt, significantes victoriam: quia erat Dominus moriendo superaturus, & trophæo crucis de diabolo, mortis principe, triumphaturus. S. August. tr. 51. in Joan.

## Varia.

Ego autem constitutus sum Rex ab eo. Pf. 2. 6. Non tamen lego honorificum hunc titulum vestibus Christi D. insertum, nisi postquam canit cruentam victoriam. Victoriam habebat in vestimento suo scriptam: Rex regum. Apoc. 19. 16. Sed quale vestimentum? vestitus erat veste aspersa sanguine. Tunc se Christus D. Regem jure merito censet, cum vestem explicat cruore illitam. Veloso in Judith 7. Paræ. 7.

Exivit vincens, ut vinceret. Apoc. 6. 2. Significat, sensim ab una victoria ad aliam progressum. Vicit ex parte victores; exivit, ut Gentiles quoque vinceret. Sylveira hic.

In illa solutum est bellum diutinum, extincta mors, maledictio interempta, diaboli tyrannis absoluta, vasa ejus direpta. Deus hominibus reconciliatus est &c. S. Chrysof. hom. 30. de hebdom. Sancta.

Per quæ diabolus vicerat, per eadem Christus eundem devicit. Loco Evæ est Maria: loco ligni scientiæ boni, & mali, lignum Crucis: loco mortis Adami mors Christi. S. Chrysof. l. 6. orat. in Cruc. Dom.

## §. IV.

## Victoria sui.

## Ex Veteri, &amp; Novo.

Abraham, Abraham. Tolle filium tuum unigenitum &c. Gen. 22. 2. Guilielmus Pepinus quaerit: cur Deus vocem Abrahamæ ingeminaret? Respondet: factum, ad excitandam voluntatem in effectum tam difficilis justificationis. Sed nunc quaero: cur illum iteratò Polyanth. Sacra, Tom. II.

nomine etiam tunc appellaret, quando jam afferre filio manus volebat, & Deo obtemperare? Abraham, Abraham; non extendas manum tuam super puerum. v. 11. Causa est: quòd, ut illi arduum fuit filio necem inferre, ideoque bis de nomine vocari debuit; sic, postquam degustavit, quantum boni illud tam heroicum opus complecteretur; sic illum abripuit obedientia, & incitatum filij immolandi desiderium; ut bis quoque vocari oporteret; quòd intermitteret: sicut bis nominari debuit; ut inchoaret opus. Did. Niss. f. 5. post. D. 5. Quadr. §. 5.

David saltabat totis viribus ante Dominum. 2. Reg. 6. 14. David luctatus cum Golia, quas non virtutes exercuit? Zelò armatur, fide munitur, charitate audet, spe pugnat, oratione triumphat. Nihilominus tantarum virtutum moles par non est choreæ, quam ante Arcam duxit. S. Gregor. mor. l. 27. c. 27.

Quid de ejus virtutibus ab aliis sentiat, ignoro. Ego Davidem plus saltantem stupeo, quam pugnantem: pugnando quippe hostes subdidit; saltando autem ante arcam semetipsum vicit. Acrius confodit irrisio, quam lancea; & malum effundere cruorem, quam suffundere. Elifaus deliciis, pompis, opibusque, calcatis, ferre noluit, non dico prudentium sales, sed puerorum insultus. 4. Reg. 2. 24. &c. Oliva l. 4. Strom. §. Fidelis Deus, per quem vocati estis.

Lapides sancti elevabuntur super terram ejus. Zach. 9. 16. Lapidés hi, justi sunt; qui edificio coaptantur architecti manu: sed tanta subsidia præstat architectus lapidibus; ut seipos impellant renitentes; virtutis violentiæ alleviant pondera, ut velociter volvantur ad montium cacumina. Sept. transulerunt; lapides sancti volventur. Hieron. qui lapides sancti tantum erunt leves, & in sublime nitentes; ut non præstolentur edificantium manus; sed ipsi festinent imponi super fundamentum Christi. Arcones in If. 2. 13. Disc. 7.

Regnum caelorum vim patitur &c. Matth. 11. 12. Regnum caelorum pie rapiunt, qui in omnibus suam indolem, ad vitia propendentem, student vi quædam injectâ suæ naturæ evincere. S. Antiochus hom. 130.

## Ex Patribus, &amp; aliis.

Quando mens in passione luctatur; si, intentis viribus, & solerti attentione, vicerit; refert de hac passione victricem palmam; & coronat quodammodo per seipsam Deum. S. Basiliius in Pf. 28.

Qui victores sunt sui, cælo vim inferunt. S. Cyprianus de Nat. Chr.

Nihil est; unde non triumphet animi triumphator. S. Hildebertus ep. 56.

Qui perfectè se vincit, ad omnia fortis erit. S. Laur. Just. Ligno vitæ de pat. c. 1.

Amore nostri, fratres charissimi, Redemptor noster occubuit: & nos amore ejus discamus